



**Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

II. Meditatio: De signis Clavorum & Lanceæ in glorioso corpore relictis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](#)

cuo redemptas, sincerè & seriò quærentes. Dic huic & illi: / nōsti enim loqui ad cor) *Ite Angeli veloci*, ad gentem cultu idolorum, defectu Pastorum, varietate superstitionum, astutiâ hæreticorum *convulsam ac dilaceratam!* Ite, laborate, in sudore lachrymis & sanguine serite, ut cum æterna exultatione metatis.



## DIEI SEPTIMÆ M E D I T A T I O III.

*De signis clavorum, & Lan-  
ceæ, in glorioſo Christi  
corpo relictis.*

Horum meminit S. P. N. in Medit.  
7. de apparit. Christi post resurrect.  
punct. 2.

ORATIO PRÆPARATORIA con-  
fusa.

PRÆLUDIUM I. Constitue te in  
coenaculo, in quo Christus Dominus S.  
Thomæ exhibuit fixuram, locumque  
clavorum, & mittere jussit manum in  
latus suum.

PRÆLUDIUM II. Pete à Chri-  
sto Domino gratiam sanitatis spiritualis

ex cicatricibus vulnerum ejus.

**P**UNCTUM I. Intuere in manibus Christi Domini vestigia clavorum, & reverentissime inquire, cur ea vulnerum signa in manibus gloriois reliquerit? audiique eum respondentem: ideo reliqui. 1. Ut scias ea, quæ acerbissima fuerunt, esse gloriam meam. 2. Ut scias, hos esse characteres, quibus in manibus meis scripsi te mihi. 3. Ut scias, manus meas erga genus humanum esse perforatas & apertas, plenasque hyacinthis. Ex his disce, 1. Gloriari in infirmitatibus, acerbitatibusque tuis. 2. Gaudere, si propter bona, quæ agis, & pro omnibus laboribus non referas, nisi aculeatos sarcasmos & vulnera, seu verba te cruentantia. 3. Concipe fiduciam ad Vulnera manuum Christi, & per ea pete gratias tibi necessarias.

**I**I. Intuere loca clavorum, signaque vulnerum in pedibus Christi gloriois, & inquire causas eorum à Christo relictorum, tuin audi; ideo ea reliqui. 1. Ut scias, me non esse præproperum ad vindictam peccatorum. 2. Ut si bona & flexibilis terra es, non autem dura petra, imprimam tibi vestigia passionis meæ. 3. Ut intuens perforatos pedes meos, scias, non esse aliam ad salutem viam, nisi viam crucis, vulnerum, mortificationis. Ex his, 1. Confundere,

quod tam diu te ingratum & inutilem,  
& contemptorem suum toleret Dominus J E S U S. 2. Offer animam tuam  
ad impressionem vulnerum Domini,  
resolveque te ad omnia, quae voluerit  
a te sustineri. 3. Ingredere tandem cum  
gaudio & exultatione viam mortifica-  
tionis.

III. Intuere fixuram Lanceæ, in  
latere Christi glorioso, & inquire cau-  
sam, cur eam reliquerit? audiique res-  
ponsum; Ideò reliqui. 1. Ut scias, me  
etiamnum esse vulneratum charitate  
tui, exhibeasque vicissim cor tuum  
mihi. O cor Domini J E S U! quantum  
differs a corde meo! 2. Ut habeas re-  
fugium in latere meo: recurre ergo ad  
illud in omnibus angustiis tuis. 3. ut in  
judicio meo videoas hoc vulnus, & con-  
fundaris, si eo abusus fueris. Ex his fac  
proposita congrua.

COLLOQUIUM sic institue: acci-  
pe effigiem Christi crucifixi, & exos-  
culare quinque Sanctissima vulnera  
ejus.

Osculans pedes Christi, dic 1. Do-  
mine J E S U, per vulnus pedis tui dextri pe-  
to a te, ducas me viâ crucis! 2. Domine  
J E S U, per vulnus pedis tui sinistri peto a  
te, dirige in conspectu tuo viam salutis  
meæ!

Osculans vulnus manus dexteræ, ter  
dic: Domine J E S U, per vulnus tua dexteræ

164

Diei septimæ

peto à te , colloc a me ad dexteram tuam in jure  
dicio tuo !

Osculans vulnus manūs sinistræ semel  
dic : Domine J E S U , per vulnus manūs tua  
sinistra peto à te , benedic omnibus , qui sinistre  
de me & contra me loquuntur , scribunt , agunt ,  
cogitant !

Osculans vulnus lateris , ter dic : Do-  
mine J E S U , per vulnus lateris & cordis tui  
peto à te , ut ultima sit respiratio mea , nomen  
& amor tuus !

In fine Pater , Ave , & Anima Chri-  
sti , &c.

